

Universitätsbibliothek Wuppertal

Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ
lectionis vbique ratio habeatur

Cicero, Marcus Tullius

Lvgdvni, 1586

Oratio XXXIII: In Vatinium

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)

ac pestem suam, & patris sui se se dicet uidere. Ego uero uos in omni fortuna, quæcumque erit oblata, complectar: nec me ab ijs, quos meo nomine sordidatos uidetis, umquam illa fortuna diuellet, neq; eæ nationes, quibus me scelatus commendauit, quibus de me gratias egit, hunc excusum propter me sine me uidebunt. Sed hæc dij immortales, qui me suis templis aduenientem receperunt, stipatum ab his uiris, & P. Lentulus consul, atq; ipsa res publ. qua nihil est sanctius, uestræ potestati, indices, commiserunt. uos hoc iudicio omnium bonorum mentes confirmare, improborum reprimere potestis: uos his ciuibus uti optimis, uos me reficere, & renouare rem publ. potestis. Quare uos obtestor, atque obsecro, ut, si me saluum esse noluitis, eos conseruetis, per quos me recuperauistis.



I N V A T I N I U M.

O R A T I O X X X I I I .

P. 29.

Si tua tantummodo, Vatini, quid indignitas postularet, spectare noluisem, fecissim id, quod his uehementer placebat, ut te, cuius testimonium propter turpitudinem uitæ, sordesque domesticas nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem. nemo enim horum aut ita te refutandum, ut grauem aduersarium, aut ita rogandum, ut religiosum tecum arbitrabatur. sed fui paullo in te intemperantior forfasse

tasse, quam debui. odio enim tui, in quo, et si omnes propter
tum in me scelus superare debo, tamen ab omnibus pæ-
ne uincor, sic sum incitatus, ut, cum te non minus contem-
nerem, quam odissem, tamen uexatum potius, quam despe-
ctum, uellem dimittere. Quare, ne tibi huc honorē a me ha-
beri forte mirere, quod interroge, quē nemo congressu, ne-
mo aditu, nemo suffragio, nemo ciuitate, nemo luce dignū
putet: nulla me ad id caussa impulisset, nisi, ut ferocitatem
tuam istam comprimerem, & audaciam frangerem, &
loquacitatem paucissimis interrogationibus irretitam re-
tardarem. Etenim debuisti, Vatini, etiam si falso uenisse
in suspicionem P. Sextio, tamen miliignoscere, si in tanto
hominis de me optime meriti periculo, & tempori, & eius
uoluntati parere uoluissim: sed besterno pro testimonio es-
se mentitum, cum affirmares, nullum tibi omnino cum Al-
binouano sermonem non modo de Sextio accusando, sed
nulla numquam de re suis, paullo ante imprudens indica-
sti, qui & T. Claudium tecum communicasse, & a te consi-
lum P. Sextij accusandi petisse, & Albinouanum, quem
antea uix tibi notum esse dixisses, domum tua uenisse, mul-
ta tecum locutum dixeris: denique conciones P. Sextij scri-
ptas, quas neq; nosset, neq; reperire posset, te Albinouano
dedisse, easque in hoc iudicio esse recitat as. In quorum alte-
ro es confessus, a te accusatores esse instructos, & subor-
natos: in altero inconstantiā tuam, cum leuitate, tum
etiam periurio implicatam refellisti: cum quem alienissi-
mum a te esse dixisses, eum domi tue fuisse: quem praeua-
ricatorem ab initio iudicasses, ei, te, quos rogasset, ad accu-
sandum libros dixeris deisse. Nemii es uehemens, ferox q;
natura: non putas fas esse uerbum ex ore exire cuiusquam,
quod non incundum, & honorificum ad aures tuas * ac-
cedat.

cedat uenisti iratus omnibus: quod ego, simul ac te aspexi,
prius quam loqui cœpisti, cum ante Gellius, nutricula se-
ditiosorum omnium, testimonium diceret, sensi, atque pro-
udi: repente enim te numquam serpens e latibulis, oculis
eminenteribus, inflato collo, tumidis ceruicibus intulisti, ut
* mibi renouatus ille tuus in te, ueterem meum amicū, sed
tamen tuum familiarem defende rim, cum in hac cinitate
oppugnatio soleat, qua tu nunc utcris, nonnumquā, defen-
sio numquam uituperari. Sed quæro a te, cur C. Cornelium
non defenderem? num legem aliquam Cornelius cōtra au-
spicia tulerit? nū Aeliam? num Fusiam legem neglexerit?
num consuli uim attulerit? num armatis hominibus tem-
plū tenuerit? nū intercessorem ui deiecerit? num religiones
polluerit? ærarium exhauserit? remp. compilarit? tua sunt,
tua sunt hæc omnia. Cornelio eiusmodi nihil obiectum est.
Codicem legisse dicebatur: defendebatur testibus collegis
suis, non recitandi causa legisse, sed recognoscendi: consta-
bat tamen, Cornelium consilium illo die dimisisse, interces-
sioniparuisse. Tu uero, cni Cornelij defensio displaceat, quam
P. 30. causam ad patronos tuos, aut quod os afferes? quibus iam
præscribis, quāto illis probro futurum fit. Si te defenderint,
cum tu mibi Cornelij defensionem in maledictis obijciendam
putaris. Attamen hoc, Vatini, memento, paullo post
istam defensionem meam, quam tu bonis viris displaceuisse
dicas, me cum uniuersi populi Rom. summa uoluntate, tum
optimi cuiusq; singulari studio magnificentissime post ho-
minum memoriam consalem factum, omniaq; ea me pu-
denter uiuendo, consecutum esse, quæ tu impudenter uati-
cinando sperare te sape dixisti. Nam, quod mibi discessum
obiecisti meum, & quod horum, quibus ille dies acerbissimus
fuit, qui idem tibi letissimus, luctum, & gemitum renouare

uoluisti, tantum tibi respondeo, me, cum tu, ceteraque reip. pestes armorum caussam quereretis, & , cum per meum nomen fortunas locupletum diripere, sanguinem principum ciuitatis exsorbere, crudelitatem uestram, odiumque diuturnum, quod in bonos iam inueteratum habebatis, saturare cuperetis: scelus, & furorem uestrum cedendo maluisse frangere, quam resistendo. Quare peto a te, ut mihi ignoscas, Vatini, cum patriæ pepercерim, quam seruare am: & , si ego te perditorem, & uexatorem reip. fero, tu me conseruatorem, & custodem feras. Deinde eius uiri discessum increpas, quem uides omnium ciuium desiderio, ipsius denique reipub. luctu esse reuocatum? At enim dixisti, non mea, sed reip. caussa homines de meo reditu laborasse, qua si uero quisquam uir excellenti animo in rem pub. ingressus, optabilius quidquam arbitretur, quam se a suis ciuibus reip. caussa diliḡ. Scilicet aspera mea natura, difficilis aditus, grauis uultus, superba responsa, insolens uita, nemo humanitatem meam, nemo consuetudinem, nemo consilium, nemo auxilium requirbat: cuius desiderio (ut hæc minima dicam) forum mæustum, muta curia, omnia denique bona- rum artium studia siluerunt. Sed nihil sit factum mea cau- sa: omnia illa senatus consulta, populi iussa, Italiae totius, cunctarum societatum, collegiorum omnium decreta, de me reip. caussa esse facta fateamur. Quid ergo, homo imperi- tiſime, solidæ laudis, ac uera dignitatis præstantius mili potuit accidere? quid optabilius ad immortalitatem gloriæ, atque ad memoriam mei nominis sempiternam, quā omnes hoc ciues meos iudicare, ciuitatis salutem cum mea unius salute esse coniunctam? Quod quidem ego tibi reddo tuum. nam ut tu me carum esse dixisti, senatu, populoque Ro. non tam mea caussa, quam reip. sic ego te, quamquam sis omni

dixi

diritate, atq; immanitate teterimus, tamen dico esse odio
ciuitati nō tam tuo quam reip. nomine. Atq; ut aliquando
ad te ueniam, de me hoc sit extremum: quid quisq; nostrum
de se ipse loquatur, non est sane requirendum: boni viri iu-
dicens id est maximi momenti, & ponderis. Duo sunt tem-
pora, quibus nostrorum ciuium spectentur iudicia de nobis:
unum honoris, alterum salutis. honos tali popul. Roma. no-
luntate paucia est datus, ac mibi: salus tanto studio ciuit-
atis nemini reddit. de te autem homines quid sentiant, in
honore experti sumus, in salute expectamus. * Sed tamen
ne me cum his principibus, qui ad sunt P. Sextio, sed tecum
homine uno non solum impudentissimo, atq; infimo confe-
ram, de te ipso homine & arrogantiissimo, & mibi inimi-
cissimo, quero, Vatini, utru tandem putas huic ciuitati, huic
reip. huic urbi, his tēplis, erario, curiae, uiri his, quos uides,
horum bonis, fortunis, liberis, ciuibus cæteris, denique deo-
rum immortalium delubris, auspicijs, religionibus, melius
fuisse, & præstabilius, me ciue in hac ciuitate nasci, an te?
P. 31. cum mibi hæc responderis, aut ita impudenter, ut manus a
te homines uix abstinere possint, aut ita dolenter, ut ali-
quando ista alia, quæ sunt inflata, rumpantur: tum memo-
riter respondeto ad ea, quæ de te ipso rogaro. Atq; illud te-
nebriscoissimum tempus ineuntis etatis tuae patiar latere.
licet impune per me parietes in adolescentia perfoderis,
uincos compilaris, matrem uerberaris: habeat hoc præ-
mium tua indignitas, ut adolescentæ turpitudo obscu-
ritate, & sordibus tuis obtegatur. Quæsturam petisti cum
P. Sextio, cum hic nihil loqueretur, nisi quod agebat: ut de
altero consulatu gerendo te dices cogitare. Quero abs
te, teneasne memoria, cum P. Sextius quæstor sit cunctis
suffragijs factus, tunc, te uix, iniuris omnibus, non populi
beneficiis

beneficio, sed consulis, extremum adhæsse? in eo magistratu, cum tibi magno clamore aquaria prouincia sorte obtigisset, missusne sis a me consule Puteolos, ut inde aurum exportari, argentumq; prohiberes? in eo negotio, cum te nō custodem ad continendas, sed portitorem ad partendas merces missum putares, cumque omnium domos, apothecas, naues furacissime scrutarere, homineq; negotia gerentes iudicis iniquissimis irretires, mercatores e nauie egredientes terreres, concendentes morarere: teneasne memoria, tibi in conuentu Puteolis manus esse allatas? ad me cōsulem Puteolanorum querelas esse delatas? post quæsturam exierisne legatus in ulteriore Hispaniam C. Cosconio proconsule? cum illud iter Hispanienſe pedibus fere confici soleat; aut si quis nauigare uelit, certa sit ratio nauigandi; uenerisne in Sardiniam, atq; inde in Africam? fuerisne, quod sine senatusconsulto tibi facere non licuit, in regno Hiempsalis? fuerisne in regno Mastanefosi? uenerisne ad fretum per Mauritaniam? quem scias umquam legatum Hispaniensem in illam prouinciam istis itineribus peruenisse? Factus es tribunus pleb. (quid enim te de Hispaniensi- bus flagitijs tuis, sordidissimisq; furtis interrogem?) quæro abs te primum, quod genus improbitatis, & sceleris in eo magistratu prætermiseris? Ac tibi iam inde præscribo, ne tuas sordes cum clarissimorum virorum splendore permisceas. Ego te, quæcumq; rogabo, de te ipso rogabo, neque te ex amplissimi viri dignitate, sed ex tuis tenebris extraham: omniaq; mea tela sic in te coniicientur, ut nemo pertuum latus (quod soles dicere) saucietur: in tuis pulmonibus, ac iuisceribus hærebūt. Et, quoniam omniū rerum magnarum a diis immortalibus principia dicuntur, uolo ut mihi respondeas tu, qui te Pythagoricum soles dicere, & hominis

P.B.

fff doct

doctissimi nomen tuis immanibus, & barbaris moribus
prætendere, quæ te tanta prauitas mentis tenuerit, qui tan-
tus furor, ut, cum inaudita, ac nefaria sacra suscepferis, cum
inferorum animas elicere, cum puerorum exitis deos ma-
nes macare soleas; auspicia, quibus hac urbs condita est,
quibus omnis resp. atq; imperium tenetur, contèpseris? ini-
tioque tribunatus tui senatui denuntiaris, tuis actionibus
augurum responsa, atque eius collegij arrogantiam impe-
dimento nō futuram? Secundum ea, quæro, seruare in eo
fidemnum quando tibi moram attulerit, quo minus consil-
lum aduocares, legemque ferres, quod eo die scires de celo
esse seruatum? Et quoniā hic locus unus est, quem tibi cum
Cæsare communem esse dicas: sciungam te ab illo, non so-
lum reip. caussa, uerū etiam Cæsari; nequa ex tua summa
indignitate labes illius dignitati aspersa uideatur. Primum
quæro, num tu senatui caussam tuam permittas, quod facit
Cæsar? deinde, quæ sit auctoritas eius, qui se alterius facto,
non suo defendat? deinde (erumpet enim aliquando ex me
uera uox, & dicam sine cunctatione quod sentio) si iam

P. 32. uiolentior aliqua in re C. Cæsar fuisset, si cum magnitudo
contentionis, studiū gloriae, præstans animus, excellens no-
bilitas aliquo impulisset, quod in illo uiro & tunc ferendu-
m esset, & maximis rebus, quas postea gessit, obliteran-
dum: id tu tibi fieri cifer sumes & Vatinij latronis, ac sacri-
legi nox audietur, hoc postulantis, ut idem sibi concedatur,
quod Cæsari: sic enim ex te quæro: tribunus pleb. fuisti: se-
iunge te a consule, collegas habuisti uiros fortes nouem: ex
hi tres erât, quos tu quotidie sciebas de celo seruare, quos
irridebas, quos priuatos esse dicebas, de quibus duos pre-
textatos sedentes uides, te adlitiam prætextu togam, quam
frustra confeceras, uenidisse: tertium scis, ex illo obesse,
atq;

atq; afflictio tribunatu, cōsularem auctoritatem hominem
esse adolescentem consecutum. Reliquis ex fuerunt, ex quib;
partim plane tecum sentiebant, partim medium quen-
dam cursam tenebant. omnes habuerunt leges promulgatae:
in his multas meus necessarius, etiam de mea sententia, C. Cosconius index noster: quem tu disrumperis, cum adi-
litium vides. Volo, uti mibi respondeas, num quis ex toto
collegio legem sit ausus ferre præter unum te? quæ tanta in-
te fuit audacia? quæ tanta uis? ut, cum tui nouem collegæ
sibi timendum esse duxerint, id unus tu emersus e cœno,
omnium facile omnibus rebus infimus, contempnendum, de-
spiciendum, irridendum putares? num quem post urbem
conditam scias tribunum plebis egisse cum plebe, cum con-
staret, seruatum esse de celo? Simul etiam illud uolo, uti re-
spondeas, cum, te tribuno plebis, esset etiam tum in rep. lex
Aelia, & Enia, quæ leges sæpe numero tribunitios furores
debilitarunt, & represserunt, quas contra præter te nemo
umquam est facere conatus: quæ quidem leges anno post,
præsidentibus in templo duobus non consulibus, sed prodi-
toribus huius ciuitatis, ac pestibus, una cum auspicijs, cum P.B.
intercessionibus, cum omni iure publico conflagrauerunt:
ecquando dubitaris contra eas leges cum plebe agere, &
consilium conuocare? num quem ex omnibus tribunis pleb.
quicunq; seditioni suerint, tam audacem audieris fuisse, ut
umquam contra legem Aeliam, aut Eniam consilium con-
uocaret? Quaro illud etiam ex te, conatus sis, voluerisne,
deniq; cogitaris, (est enim res eiusmodi, ut, si tibi modo in-
mentem uenit, nemo sit, qui te ullo cruciatu esse indignum
putet) cogit arises in illo tuo intollerabili non regno (nam
cupis id audire) sed latrocinio, augur fieri in Q. Metelli
locum? ut, quicumque te aspexisset, duplarem dolorem, ge-
fff 2 mitumq;

mitumq; suscipere, & ex desiderio clarissimi, & fortissimi
ciuii, & ex honore turpissimi, atq; improbissimi. Adeone
non labefactata remp. te tribuno, neq; conquassata ci-
uitatem, sed captam hanc urbem, atq; euersam putares, ut
augurem Vatinium ferre possemus? Hoc loco quero, si id
quod cōcupieras, augur factus es: in qua tua cogitatione
nos, qui te oderamus, uix dolorem ferebamus: illi autem,
quibus eras in delicis, uix risum tenebant: sed quero, si ad
cetera uulnera, quibus putasti remp. deleri, hac quoq; mor-
tiferam plagam influissest auguratus tui, utrum decretu-
rus fueris id, quod augures omnes usq; a Romulo decrever-
runt, loue fulgente, cum populo agi nefas esse; an quia tu
semper sic egissest, auspicia fueris augur dissoluturus? Ac,
ne diutius loquar de auguratu tuo, quod iniuitus facio, ut re-
corder ruinas reip. (neq; enim tu unquam, stante nō modo
maiestate horum, sed etiam urbe, te augurem fore putasti)
uerum tamē, ut somnia tua relinquam, ad scelera ueniam,
uolo, uti mibi respondeas: cum M. Bibulum consulem, non

P. 33: dicam bene de rep. sentientem, ne tu mihi homo potens ira-
scare, qui ab eo disensisisti, sed hominem certe nusquam pro-
gredientem, nihil in republ. molientem, tantum animo ab
actionibus tuis dissentientem, cum eum tu consulem in iu-
nula duceres, & a tabula Valeria collegae tui mitti iuber-
rent, fecerisne ante rostra ponte continuatis tribunalibus,
per quem consul populi Rom. moderatissimus, & constan-
tissimus, sublato auxilio, exclusis amicis, ui perditionis ho-
minum incitata, turpissimo, miserrimoq; speclaculo non in
carcerem, sed ad supplicium, & ad necē duceretur? quero,
numquis ante te tam fuerit nefarius, qui id fecerit? ut scia-
mus, utrum ueterum facinorum sis imitator, an inuenor
nouorum? Idemq; tu cum his, atq; huiusmodi consilijs, ac
facino

facinoribus nomine C. Cæsar is clementissimi, atq; optimi
uiri, scelere uero, atq; audacia tua, M. Bibulum foro, cui ia,
templis, locis publicis omnibus expulisses, inclusum domi
contineres, cumq; non maiestate imperij, non iure legū, sed
ianua præsidio, & parietum custodijs consulis uita tege-
retrur; miseriſne uiatorem, qui M. Bibulum domo ui extra-
beret, ut,* quod est in priuatis, semper seruatum, id te tri-
buno pleb. consuli domus exſilium eſſe non poſſit? ſimulq;
mibi respondeto tu, qui nos, qui de communi ſalute conſen-
timus, tyrranos uocas, fuerisne non tribunus pleb. ſed into-
lerandus ex cæno nescio quo, atq; ex tenebris tyrranus? qui
primum eam remp. que auſpicijs inuenitis conſtituta eſt:
iſdem auſpicijs ſublatiſ, conarere peruertere: deinde ſan-
ctissimas leges, Aeliam, & Fufiam dico, que in Graccho-
rum ferocitate, & in audacia Saturnini, & in colluione
Druci, & in contentione Sulpicij, & in cruore Cinzano, &
inter Sullana arma uixerunt, ſolus conculcaris, ac pro ni-
bilo putaris: qui conſulem morti obieceris, inclusum obſe-
deris, extrahere ex ſuis teclis conatus ſis: qui in eo magi-
ſtratu non modo emerſeris ex mendicitate, ſed etiam diui- P. B.
tijs nos iam tuis terre as: fuerisne tanta crudelitate, ut de-
lectos uiros, & principes ciuitatis tollere, & delere tua
rogatione conareris? Cum L. Vettium, qui in ſenatu con-
fessus eſſet, ſe cum telo fuiffe, Cn. Pompeio ſummo, & cla-
riffimo cui ſuis manibus necem afferre uoluiffe, concionem
produixeris, indicem in roſtris, in illo, in quaam, augura-
to templo, ac loco collocaris, quo auctoritatis exquiren-
da cauſa ceteri tribuni pleb. principes ciuitatis producere
conſueuerunt, ibi tu indicem Vettium, linguam, & uocem
ſuam ſceleri, & menti tuae preabere uoluifisti, ut diceret L.
Vettius in concione tua, rogatus a te, ſe auctores, & im-

pulsores, & socios habuisse sceleris illius eos viros, quibus
e ciuitate sublati, quod tu eo tempore moliebare, ciuitas
stare non posse? M. Bibulum, cuius inclusione contentus no
eras, interficere uolueras, spoliaueras consulatu, patria pri
uare cupiebas: L. Lucullum, cuius tu rebus gestis, quod ipse
ad imperatorias landas a puero uidelicet spectaras, uebe
mentius inuidiebas: C. Curionem, perpetuum hostem impro
borum omnipium, auctorem publici consilij libertate commu
ni tuenda maxime liberum cum filio principe inuentutis,
cum rep. coniunctiore etiam, quam ab illa atate postulan
dum fuit, delere uolueisti: L. Domitium, cuius dignitas, & splen
dor prestringebat, credo, oculos Vatinij, quem tu propter
commune odium in bonos oderas, in posterum autem propter
omnium spem, qua de illo est, atq; erat, ante aliquanto ti
mebas: L. Lentulum, hunc indicem nostrum, flaminem Mar
tialem, quod erat eo tempore Gabinij tui competitor, eius
dem Vettij indicio opprimere uolueisti, qui si tum illam la
bem, pestemq; uicisset, quod ei tuo scelere non licuit, resp.

P. 34. uicta non esset. Huius etiam filium eodem indicio, & crimi
ne ad patris interitum aggregare uolueisti: L. Paullum, qui
tum quæstor Macedoniam obtinebat, que ciuem! quem ui
rum! qui duos nefarios patriæ proditores, domesicos hostes
legibus exterminarat, hominem ad conseruandam rem
natum, in idem Vettij indicium, atq; in eundem hunc num
erum congregasti. Quid ego de me querar, qui etiam gra
tias tibi agere debeo, quod me ex fortissimorum ciuium nu
mero sciungendam non putaris? Sed qui fuit ille tantus su
ror tuus, ut, cum iam Vettius ad arbitriū tuum perorasset,
& ciuitatis lumina notasset, descendisseq; de rostris, cum
repente renocares, colloquerere, populo Ro. uidente deinde
interrogares, et quosna alios posset naminare? inculcarisne

ut

ut C. Pis
pia opti
pietate
dies, ac
risne, im
amplissi
simæque
conuicio
Vettio, m
ris in te
usurpas,
omnes in
tuisse, qu
stratus,
tonius re
postea qu
tuam po
clusus m
tate legi
ximo, pr
summa l
tore, co
tionē ve
num au
ximis,
non mo
tuum m
ses misé
At num
solatur,
no in fa

ut C. Tisonem generū meum nominaret? qui in summa copia optimorum adolescentium, pari continentia, uirtute, pietate reliquit neminem: itemq; M. Laterensem, hominem dies, ac noctes de laude, & de rep. cogitantem? promulgatisne, impurissime, & perditissime hostis, quæsiuonem de tot amplissimis, & talibus uiris? indici Vettio præmia amplissima: quibus rebus omnium mortalium non uoluntate, sed conuicio reprehendiatis, frigerisne in carcere ceruices ipsi illi Vettio, ne quod indicium corrupti iudicij extaret, eusq; sceleris in te ipsum queſio flagitaretur? Et, quoniam crebro usurpas, legem te de alternis consilijs reuiciendis tulisse; ut omnes intelligant, te ne recte quidem facere sine scelere potuisse, quero, cum lex esset* aqua promulgata initio magistratus, multas etiā alias tulisses, expectarisne, dum C. Antonius reus fieret apud Cn. Lentulum, & Q. Claudio? &, postquam ille est reus factus, statim tuleris in eum, qui tuam post legem reus factus esset: ut homo consularis exclusus miser pūcto temporis spoliaretur beneficio, & equitate legis tuae. Dices familiaritatem tibi fuisse cum Q. Ma- P. B.
 ximo, præclara defensio facinoris tui. nam Maximi quidem summa laus est, sumptis inimicitijs, suscepta cauſa, quæſitore, consilioq; delecto, commodiorem inimico suo * contentione reiectionis dare noluisse: nihilq; Maximus fecit aliquid aut sua uirtute, aut illis uiris clarissimis Paullis, Maxini, Africanis, quorū gloriam huius uirtute renouatam non modo speramus, uerum etiam iam uidemus. tua fraus, tuum maleficium, tuū scelus illud est, te id, quod promulgates misericordiæ nomine, ad crudelitatis tempus distulisse. Ac nunc quidē C. Antonius hac una re miseriā suā consolatur, quod imagines patris, & fratri sui, fratribusq; filiam, nō in familia, sed in carcere collocatas audire maluit, quam

uidere. Et, quoniam pecunias aliorum despicias, de tuis diuitiis intolerantissime gloriaris: uolo, uti mihi respondeas, fecerisne foedera tribunus pleb. cum ciuitatibus, cū regibus, cū tetrarchis? erogarisne pecunias ex aerario tuis legibus? eripuerisne partes illo tempore carissimas partim a Cesare, partim a publicanis? Quę cum ita sint, quārō ex te sisne ex pauperrimo diues factus illo ipso anno, quo lex lata est de pecunijs repetundis acerrima? ut omnes intelligere possent, a te non modo nostra acta, quos tyranos vocas, sed etiam amicissimi tui legem esse contemptā. Apud quem tu etiam nos criminari soles, qui illi sumus amicissimi, cum tu ei contumeliosissime toties maledicas, quoties illi affinem te esse dicis. Atq; illud etiā scire ex te cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Q. Aris familiaris mei cum toga pulla accumberes? quem umquam uideris? quę audieris? quo exemplo, quo more feceris? Dices, supplications
 p. 35. te illas non probasse. optime. nulla fuerint supplications. Videsne, ne nihil de anni illius cauſa, nihil de eo, quod tibi cum summis viris comune esse uideatur, sed de tuis proprijs sceleribus ex te querere? nulla supplicatio fuerit. ce do, quis umquam cenauit atratus? ita enim illud epulū est funebris, ut munus sit funeris, epulū, & qui dē ipsa dignitatis. Sed omitto epulum, pop. Rom. festum diem, argento, ueste, omni apparatu, ornatuq; uisendo: quis umquam in luciu domestico, quis in funere familiari cenauit cum toga pulla? cui de balneis exculti, prater te, toga pulla umquam data est? cum tot hominū millia accumberet, cū ipse epuli dominus Q. Aris albatus esset, tu in templū Castoris te cum C. Fidulo atrato, caterisq; tuis furijs funebri intulisti. quis tum nō ingemuit? quis non doluit reip. casum? quis sermo alius in illo epulo fuit, nisi hanc tantam, & tam grauem ciuitatem subiecit?

Etiam esse non modo furori, uerū etiam irrisiōnī tuā? Hunc
tu morem ignorabas? numquam epulū uideras? numquam
puer, aut adolescens inter coēuos fueras? Fausti adolescen-
tis nobilissimi paullo ante ex epulo magnificentissimo fa-
mem illam ueterem tuam non explexas? quem accumbere
atratum uideras dominū cum toga pulla, & eius amicos
ante coniūniū? quæ te tanta tenuit amentia, ut tu, nisi id fe-
cisses, quod fas non fuit, nisi uiolasse templū Castoris, no-
men epuli, oculos ciuium, morem ueterem, eius qui te in-
uitarat auctoritatem, parū putares testificatum esse, sup-
plicationes te illas non * putare? Quæro illud etiam ex te,
quod priuatus admisisti in quo cerie iam tibi dicere non li-
cebit, cū clarissimis uiris cauſsam tuam esse coniunctā: po-
stulatus ne ſi lege Licinia, & Julia? edixerit ne C. Memmius
prætor ex ea lege, ut ad eſſes die tricēſimo? cū is dies uenif-
ſet, fecerisne, quod in hac rep. non modo factum ante num-
quam eſt, ſed in omni memoria ſit omnino inauditū? appel-
larisne tribunos pleb. ne cauſsam diceret? leuius dixi quā-
quā idipſum eſſet & nouū, & non ferendū ſed appellarisne
nominationem peſtem illius anni, furiā patriæ, tempeſtatem
reip. Clodium? qui tamen cum iure, cum more, cum potesta-
te iudicium impediſe non poſſet, rediit ad illam uim, & fu-
rorem ſuum, duce mque ſe militibus tuis p̄abuit. In quo ne
quid a me dictum in te potius putes, quam ab te eſſe quaſi-
tum, nullum onus imponā mihi testimonij: qua mihi breui
tempore ex eodem iſto loco uideo eſſe dicenda, ſeruabo: teq;
non arguam, ſed, ut in ceteris rebus feci, rogaro. Quæro ex
te, Vatini, num quis in hac ciuitate poſt urbem conditam
tribunos pl. appellari, ne cauſsam diceret? nū quis reus in
tribunal ſui quaſitoris ascēderit, eumq; ui deturbarit? ſub-
ſellia diſparit? urnas deleuerit? eas denique omnes res

P. B.

fff s in

in iudicio distractando commiserit, quarum rerum causa
iudicia sunt constituta? sciasne tum fugisse Memmium? ac-
cusatores esse tuos de tuis tuorumque manibus eruptos?
iudices questionum de proximis tribunalibus esse depul-
sos? in foro, in luce, inspectante populo Romano, quaestio-
nem, magistratus, morem maiorum, leges, indices,* sceler-
rum peñam esse sublatam? hæc omnia sciasne diligentia C.
Memmij publicis tabulis esse notata, atque testatae. Atque
illud etiam quaro, quod posteaquam es postulatus, ex le-
gatione redieris, ne quis te iudicia defugere arbitraretur;
reque, cum tibi, utrum uelles, liceret, dictarlis, causam di-
cere maluisse; qui consentaneum fuerit, cum legationis per-
fugio uti noluisse, appellatione improbissima te ad auxi-
lium nefarium cōfiguisse? Et, quoniam legationis tua facta
mentio est, uolo etiam audire de te, quo tandem senatus cōsilio
legatus sis? de geslu intelligo, quid respondeas: tua lege di-
cis, esse igitur patriæ certissimus parricida? sperasne id, ut
patres conscripsi ex rep. funditus tollerentur? ne hoc qui-
dem senatui relinquebas, quod nemo umquam ademit, ut
legati ex eius ordinis auctoritate legarentur? adeo tibi
sordidum consilium publicum uisum est? adeo afflictus sena-
tus, adeo misera, & prostrata resp. ut non mutios pacis, ac
belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilij au-
tores, non ministros munericis prouincialis senatus more
maiorum diligere posset? eripueras senatui prouincia decen-
nenda potestatem, imperatoris deligendi iudicium, ærarij
dispensationem: quæ numquam sibi popul. Rom. appetiū;
qui numquam hæc a summi consilij gubernatione auferre
conatus est. Age, factum est horum aliquid in alijs: raro.
sed tamen factum est, ut populus deligeret imperatorem.
quis legatos umquam audiuit sine senatus cōsilio? anie te ne-
mo.

mo. post continuo fecit idem in duobus prodigijs reip. Clodius. quo etiam maiore es malo malitandus, quod non solum factio tuo, sed etiam exemplo remp. vulnerasti; neque tantum es improbus ipse, sed etiam alios docere uoluisti. Atq; illud etiam audire a te cupio, quare, cum ego legem de ambitu ex S. C. tulerim sine u. tulerim saluis auspicijs, tulerim salua lege Aelia, & Fusia, tu eam esse legem non putas? præsertim, cum ego legibus tuis, quo modo latet, paream. Cum mea lex dilucide uetet, biennio, quo quis petat, petituru; se si, gladiatores dare, nisi ex testamēto præstituto die: quæ tanta in te sit amentia, ut in ipsa petitione gladiatores audeas dare? num quem putas illius tui certissimi gladiatori similem tribunum pleb. posse reperi-ri, qui se interponat, quo minus reus mea lege scias? Ob hasce orques res scias, te seuerissimorum hominum Sabi-norum, fortissimorum virorum Marforum, & Pelignorum p. B. tribulum tuorum, iudicio notatum: nec post Romanam con-ditam, prater te tribulem quæquam, tribum Sergiam per-didisse. Ac si hæc omnia contenatis, ac despicias, quod ita ti-bi persuaseris, ut palâ dicitas, te dijs, hominibusq; iniurias, amore in te incredibili quodam C. Caesaris, omnia, quæ ue-lis, consecuturi: ecquid audieris, ecquisnam tibi prædixerit C. Caesarē nuper. Aquileia, cum de quibusdā esset mētio fa-cita, dixisse C. Alfaum præteritum permoleste tulisse, quod in homine summam fidem, probitanterq; cognoscet; gra-uiterq; etiā se ferre, prætorem aliquem esse factum, qui a suis rationibus disensiēt? tum quæsisse quendam, de Vatinio quemadmodū ferret: ipsum respondisse, Vatinium in tribuna-tu gratis nihil fecisse: qui omnia in pecunia posuisset, bono-re animo æquo carere debere? Quod si ipse, quite suæ di-gnatis augendæ causa periculo iuo, nullo suo delicto ferri

præ

principitem, est facile passus; tamē te omni honore indignissimum indicat: si te uicini, si affines, si tribules ita oderunt, ut repulsa tuā triumphū suum duxerint, si nemo aspicit, quoniam ingemiscat, nemo mentionem facit, quin exsecetur, si uitani, fugiunt, audire de te nolunt: cum uiderūt, tanquam auspi. ium malum detectantur, si cognati respiciunt, tribules exsecrantur, uicini metuent, affines erubescunt; si struma deniq; ab ore improbo demigrarunt, & alijs iam se locis collocarunt; si es odium publicum populi, sénatus, uniuersorum hominum: quid est, quam obrem præturam potius exoptes, quam mortem? præsertim, cum popularem te uelis esse, neq; ulla in re populo gratius facere possis. Sed, ut aliquando audiamus, quam copiose ad interrogata respondeas, cōcludam iam interrogationē meam, teq; in extremo paucā de ipsa causa rogabo. Quæro, quæ tanta in te uanitas, tāta leuitas fuerit, ut in hoc iudicio T. Annium iisdem herbis laudares, quibus eum laudare & boni viri, & boni ciues consuerūt, cum in eundē nuper ab eadem illa teterrima furia produktus ad populum cupidissime falsum testimonium dixeris? An erit hac optio, & potestas tua, ut, cum Clodianas operas, & facinorosorum hominū, & perditionum manum uideris, Malonem diccas, id quod in cōcione dixisti, gladiatoriis, & bestiariis obsedisse rem p. 57. cū autem ad tales uiros ueneris, non audeas cīnē singulari uirtute, fide, constantia uituperare? Sed, cum T. Annium tantopere laudes, & clarissimo viro nonnullam laudatione tua labecula affergas (in illorum enim numero manuit T. Annus esse, qui a te uituperantur) uerum etiam quæro, cum in re administranda T. Annio cum P. Sextio consiliorum omnium societas fuerit (id quod non solum bonorum, uerum etiam improborum iudicio declaratum est: est enim reus

reus uterque ob-eandem caussam, & eodem crimine: alter die dicta ab eo, quem tu unum improbiorem esse, quam te, numquam soles confiteri: alter tuis consilijs, illo tamen adiuuante)quero, qui possis eos, quos crimine coniungis, testimonio disiungere? Extremum illud est, quod mibi abs te responderi uelim: cum multa in Albinouanum de praeuaricatione diceres, dixeris ne, nec tibi placuisse, nec oportuisse Sextium de ui reum fieri? quauis lege, quouis criminе accusandum potius fuisse? etiam illud dixeris, caussam Milonis fortissimi uiri coniunctam cū hoc existimari? quæ pro me a Sextio facta sunt, bonis esse grata? Non coarguo inconstantiam orationis, ac testimonij tui. quas enim huius actiones probatas bonis esse dicis, in eas pluribus uerbis testimonij dixisti: quicum autem eius caussam periculum q; coniungis, eum summis laudibus extulisti. Sed hoc quero, num P. Sextium, qua lege accusandum omnino fuisse negas, ea lege condemnari putere? aut, si te in testimonio consuli nolis, ne quid tibi auctoritatis a me tributum esse uideatur, dixeris ne in eum testimonium de ui, quem negaris reum omnino de ui fieri debuisse?



PRO M. COELIO.

P. B.

ORATIO XXXIIII.

Si quis, iudices, forte nunc adsit ignarus legum, iudiciorum, consuetudinis nostræ: nimirum profecto, quæ sit tanta atrocitas huic cause caussæ, quod diebus festis, ludisque publicis, omnibus negotijs forensibus intermissis, unum hoc iudi-